

Committit & eleganter M. Tullius oratione pro Mur. cum Euripi fluxu & refluxu inconstantiam populi & incertam Comitiorum rationem. Instabilis enim Euripus; & inde inter *αἰδρωτός* apud Senecam in Hercule Oetæo, Actor. II. Sc. IIII:

— prius

*Exstinguet ortus, referet occasus, diem:
Pax ante fida nivibus & flammis erit:
Et Scylla Siculum junget Ausonio latus:
Priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus, unda stabit Euboica piger.*

Euripus Taurominitanus Plinio lib. II. cap. XCVII. illa maris reciprocatio, in quam delabi ferunt Charybdim; quæ, vorticosum mare inter Siciliam & Italiam in freto Mamertino, *Garofaro* dicitur hodie, Fazello & Aretio notantibus. Exaudiendus de eo Seneca in Epistolis, *Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero: & si forte observaris (dignum est autem quod observes) fac nos certiores, utrum uno tantum vento agatur in vorticos, an omnis tempestas mare illud contorqueat; & an verum sit, quidquid illo freti turbine arreptum est, per multa millia trahi, & circa Taurominitanum littus emergere.*

Euripus